



DICASTERIUM DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

DOMINICA XXVI «PER ANNUM»

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ

Benedictio sequens adhiberi potest ad libitum sacerdotis.

Ipse sacerdos dicit invitationem:

Fratres ac soróres, Iesus promísit se in médio discipulórum suórum in eius nómine congregatórum adfutúrum. Ventúris diébus, Romæ, Summus Pónifex Francíscus sessionem primam apériet décimi sexti Cœtus Generális Ordinárii Sýnodi Episcopórum. Benedictiónem Dómini invocántes, mentes nostras ad Deum levámus ut, Spíritu Sancto favénte, in communióne nos corróboret, in omnem veritátem dedúcat atque Partícipes Cœtus Synodális indesinénter illúminet.

Deinde fit dimissio. Sacerdos, versus ad populum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondeat:

Et cum spíritu tuo.

Diaconus, vel, eo deficiente, ipse sacerdos, dicit invitationem: Inclináte vos ad benedictiónem. Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit benedictionem, omnibus respondentibus: Amen.

Deus et Pater noster,

qui multifáriam et multis modis locútus est pátribus in prophétis,
vos et Ecclésiam cunctam in fidelitaté verbi sui et in iudicio suæ voluntatis dírigat.

R. Amen.

Unigénitus, in plenitúdine témporis missus,
ut ómnibus divítias misericórdia Patris manifestáret,
in communióne cum Ipso et frátribus vos custódiat.

R. Amen.

Spíritus Sanctus vos omnes, et præcipue Synodálem Cœtum,
ad signa téporum cognoscénda perdúcat
ut, voluntati Dei in ómnibus adhæréntes,
úberes fructus unitatis afferáti
vitam Ecclésiae promovéndo et Evangélium testificándo.

R. Amen.

Et benedictio Dei omnipoténtis,
Patris, et Filii, ✕ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.